

MADALIUS



PROVERBIA



z KSIĘGOZBIORU

IGNACEGO BERNSTEINA

w Warszawie.


№

3527

Mag. St. Dr.




3527




HCR 10431 , Fava 865

PBY 132

[*Brixia*, *B. minutata*, ca 1500]





IO. BAPTISTAE MADALII
CORTON . AD PETRVM
FRANCISCVMMEDICEN

PROVERBIA.



ARVE liber celeri Medicus pete limi
na gressu:

Grataq; fer domini dona futura tui.

Nanq; licet tota uates ex urbe fugetur:

Vtq; tamen musis hæc domus una
patet.

Vade sed admissus fac commoda tempora serues:

Nam mage captato tempore cuncta placent.

Cum tua conspiciet placido munuscula uultu:

Madalius dicas hoc tibi mittit opus.

Cur mensura breuis tibi sit si forte requirat:

Dic uirtus paruo corpore maior inest.

Maius erythræi precium meruere lapilli:

Quam de tyrrhænis grandia saxa iugis.

Quid mirum est uastum si flumina continet æquor:

Id fluuius totum si capit æquor: erit.

Hinc si scire uelis potius cur disticha mittam:

Dic uulgata breui carnine dicta iuuant.

Idemum felix: at si mordebere: dentis

Cum tibi sit medicus uulnera nulla time.

ADLECTOREM . a .



HAEC lege uulgatis tercetū disticha uerbis:
Dicere qui breuiter grandia sensa cupis.

Aut bibat aut abeat qui uult mea carmina secū:
Non facit ad rigidos blanda camaena uiros.

Defuncto barbam vellit quicumq; leoni:
Segnīs ad eurotam sepe sedere solet.

Vna simul binas uolucres transfenna fefellit:
Hoc potes aucupium iure uocare bonum.

Te peruenturum ad frugem despero sub istis
Vestibus: est felix mane notanda dies.

Accipiter uenit: mirari desine: tempus
Cantio si uolucris defuit ante suum.

Quem post facta piger: grauior sibi poena uidetur.
Sed preuisa minus uulnera cuiq; dolent.

Pingere ceu tabulas solet una fidelia multas:
Sic etiam multis res ualet unadari.

Consilium in media capiat gladiator arena:
Nam secus effuso sanguine uictus erit.

Sustulit hic uitulum: poterit quoq; tollere taurum:
Nam cui parua placent: magna placere solent.

Ille nec immerito, sitiens occumbere posset:
Quí maris in medio gurgite querit aquam.

Perfricuit faciem: sed nil profecit Alexis:
Ora uerecundo tacta pudore rubent.

Omnis habet mutam facies pulcherrima laudem:
Hac tua num. mura laude carere potest?

Maiorum sequitur uestigia recta uirorum:
Quæ manet ex meritis fama decusq; suis.

Est in consilio ductoris strenua uirtus
Militiæ: seruant cætera membra caput.

Falleris: hircino loris ex tergore sectis
Non opus est cedi: mater ut esse queas.

Ne tantum tumeas: ab eodem nomine dicta
Hæc studia humanos nos magis esse uolunt.

Vna aliam trudit fallacia: fallitur omnis
Fraus a fraude: sua uincitur arte dolus.

Vultur adest: aliquod potes expectare cadauer:
Non fallunt prisca signa notata uiris.

Non est posse homini pro uiribus usq; uolendum:
Sæpe fit asperius dulce quod ante fuit.

Qui paruam alterius festucam in lumine cernit:
Ingentem in proprio non uidet ille trabem.

Nare procellosos tentas sine cortice fluctus:
Sed caput impatiens obruet unda tuum.

Vulpis more pirum comedam licet: omnia uincam:
Quod scio-continua nescio fronte: feram.

Sermo animum reddit: nec rerum fallit imago:
Dant quod habent- semper lignea uasa merum.

Vulpinam pellem-qua non uenit illa leonis
Consue: si uirtus non ualet: adde dolos.

Inter cyaneas tutus non nauigat omnis:
Naufragium patitur: qui facit illud iter.

Formicam laqueus retinet splendentibus alis:
Sepibus his autem nulla remansit auis.

Ni te postremum fecisset Mysia ciuem:
Inter magnates iure locandus eras.

Diuitie profunt: animus si tractat habenas:
Sin contra-dominos precipitare solent.

Syrenum cantu demulceor omnibus horis:
Res mihi cum tribus est: quis superesse potest?

Recta uel in tenebris proprium dat fama nitorem:
Lumen in obscuro clarius ignis habet.

Consuetum patitur uitium nisi corrigat omnis:
Qui uitiiis parcat: moribus ille nocet.

Pollicitis maneat: polium ne sponte sequaris:
Immemorem uerbi non decet esse uirum.

Quisq; senex aquilam canis imitatur in annis:
Mamma senum merito dicitur esse merum.

Si puer erubuit: color est uirtutis in illo:
Sin minus est uitii: signat utrunq; polus.

Hec panem ostentat: lapidem fert illa: caueto:
Rara sub aspectu firma priore manent.

Si malus es: parcas aliis: si recta reperta
Est tibi: cur aliis hoc iter esse negas?

Stramina q̄ gemmas semper magis optat asellus:
Quid sibi cum gemmis? cognita quenq; trahunt.

Sic nos sub specie uirtutum crimina perdunt:
Mixta uelut dulci toxica melle necant.

De superis tantum rauca ne uoce queraris:
Quę uenit ex merito: non male p̄na uenit.

Cum uilis totam ridet te turba per urbem :
Dic tecum ingenti prosperitate fruor.

Non est parua domus: multos que claudit amicos:
Que paucos capit: est parua: sit ampla licet.

Est vlciſcendum nunquam cum crimine crimen:
Vlcio deterius ſemper haberet iter.

Omnis mors odio eſt: ſed fit ſapientia morte:
Haud danno alterius lucra carere queunt.

Vnum qui ledit: multis ledendo minatur:
Inq; fugam taurus vertere quenq; facit.

Arbiter eſt oculus parula ſi certior aures:
Credere quo ualeas cernere cuncta velis.

Quem rotat in girum ſubitis Rhannuſia pennis:
Speret fortunam poſſe redire ſuam:

Rebus in aduerſis iniuria riſus habetur:
Letus leta quidem: triſtia triſtis amat.

Plus valet indubiis audacia plurima rebus:
Quam timor: infirmo cuncta timore cadunt.

Femina coniugii diſcordes tracta: habenas:
Parentoq; iubet ſic modo caſta: uiro.

Inclusus morerere fame si caspius esses:
Et te uicturum semper in orbe putas?

Si dimittenda est occasio nulla cauendi:
Cur non ardenti queris ab igne fugam?

Penitet hunc pro peregrino: citius qui iudicat equos:
Iudicium melius uerba retenta ferunt.

Nefraudes Genium: est etiam capienda voluptas:
Debet quisq; suis rebus habere modum.

Extremis digitis attingere cuncta uideri
Qui cupit: audaci fur rapit inde manu:

Candida marmorei laceras cur saxa sepulchri?
Nil profecturam Versus es in rabiem.

Hic homines tanto potiuntur honoribus astu:
Ut uel in hircanis degere prestat agris.

Iudicibus nummos cum dat bene perdere fontem
Vulgaris merito dicere turba solet.

Quod placet innumeris: custos non sufficit unus:
Quisq; malus certe si uelit esse potest.

Si non esse locum sine teste putaueris unquam:
Officient anime crimina rara tue.

Qui se uictorem uincit: bis uincere dicunt:
Sic quoq; bis proprio qui perit ense: perit.

Quisq; tolosanum cum tempore possidet aurum:
Copia si fuerit non bene parta sibi.

Ne mirere bonam faciat quod curia legem:
Lex bona de turpi more uenire solet.

Esse bonam ad frugem nollet se nemo' receptum
Vel malus: hunc mundi uincla sed arcta tenent.

Tarda leuem celeri cursu testudo molossum
Præuenit: quamuis res noua uera tamen.

Cecropidum uetus exemplum renouemus amici:
Mutuus in nostro pectore uiuat amor.

Lumbricum transfenna tenet: sed turdus abiuit:
Aucupium solita deficit arte tuum

Qui rectam sequitur peccat: cum crimina profint:
Nonne uides prauos prosperitate frui?

Vlla queri de qua nequeas tam prospera nunquam
Sors tibi succedet: res habet ista uicem.

Agmina peccantium sceleris mos perditus auget:
Cum sociis proprium quisq; tuetur onus.

Cuncta tibi tradam: fueris si factus ad unguem:
Sin contra-melior phryx mihi semper eris.

Qui colit alterius fundum: nec cetera curat:
Incultum propria deserit arte suum.

Vt tua me totum uehemens audacia sepsit
Non ita pompili circulus antiochum.

Te prius inspicias: qui carpere niteris omnes:
Ut libeat quemuis morsibus inde petas.

Quod cupiat scit amans: sequitur sua uota: nec uquam
Quod sapiat: parili pendere lance solet.

Cum tibi blanditur uultu fortuna secundo:
Captatum accedit: tunc magis ipse caue.

Cuncta nihil debens uiuit per secula felix.
Nam se suprema pelle carere uidet.

Deberes animam saliaribus improbe cenis:
Presbiter assiduam ni tibi ferret opem.

Ne mea quere tuo pro carmine carmina uates:
In permutando munere Glaucus eris.

Plus placet alterius nobis spectantibus aurum:
Plus aliis nostrum: sic aliena iuuant.

Te potius uellem mores seruire uetustos:
Priscaq; linquentem uerba moderna loqui.

Difficilem cunctis ad crimina prebeat aurem:
Qui seruare animam uult sine labe suam.

Abiectum quamuis hostem decet esse timendum:
Umbram nanq; suam quisq; capillus habet.

Vincere ad exitium res hec inhonesta uidetur:
Cum punire suos sit potuisse satis.

Non peiora dabit uitis gens postera nostris:
Culmen inaccessum crimina cuncta tenent.

In quancunq; domum clementia uenerit: illi
Cum magna fuerit prosperitate quies.

Assiduo turpem deducit crimine uitam:
Qui putat in nullo tempore posse mori.

Si facilis timido fors conuenit aspera forti:
Aspera nam timidis non datur herba uiris.

Crede mihi pariter laus & lasciuia nunquam
Concordes una sede manere queunt.

Prosper naufragio uentus cognoscitur omnis:
Quis bonus esse nequit: dum freta tuta silent.

Quos furor exagitat socios committere neli:
Eripere iratis non dare tela decet.

Ne letare nimis subito cui prospera surgunt:
Cuncta ad perniciem nam cito leta cadunt.

Que cupiunt multi numerosa pericula prebent:
Supremus uario queritur ense locus.

Alterius comitem facundia uectat eundo:
Est opus at subiti sint line dente sales.

Vtilibus nunquam nocuit dilatio rebus:
Magna facit stultum quem nimis hora fouet.

Ingratum satis est hominem dixisse: malignos
Qui tantum uitio nos docet esse suo.

Magna nec ingenuus patitur nec iurgia fortis:
Quorum alius leuius debet uterq; pati.

Nil refert quo animo facias fecisse quod atrum est:
Facta patent tantum: mens animusq; later.

Cui semper dederis suades auferre negando:
Ante caue: legem mos ueteratus habet.

Ex rapto semper discordia nascitur omnis:
Cur nunc bella fremunt? quicq; rapita iuuat.

Cum contennuntur citius discrimina surgunt:
Sed metuens labem non cito labe perit.

Acrius efficitur maledictum interprete: semper
Stercora fetorem dant magis acta suum.

Omnia conueniunt pariter non omnibus annis:
Est fructus iuueni. crimen amare seni.

Si falis ante opus est modium consumere secum:
Quam cognoscatur: rarus amicus erit.

Stas inter saxum & sacrum: tibi iure timetur:
De te iam certa est alea iacta manu.

Vendita libertas munus capientis habetur:
Si bene metiri cum ratione uoles:

Obiice discreto nunquam bene facta sodali:
Qui meritum dicit se tribuisse: petit.

Delicias cum luditanus dat sedula mortis:
Linquerenam tetri carceris antra cupit.

Quisq; sibi equalem mulierem inquirere debet.
Impar pernitie dissidet omne graui.

Res aduersa probat sed prospera reddit amicum:
Dum sequitur corpus sol nitet vnbra suum.

Audendum est: forti præstat fortuna fauorem:
Cordaq; felici sorte puilla carent.

Cum metus interior iuueniles auferat annos:
Quam miserum est fieri sic metuendo senem.

Nec cytharam pulsat nec cantat rector olympi:
Cura grauem grauior debet habere uirum.

Queq; suos regio retinet uel paruula eantus:
Viuiorum in mensa te meminisse uelim.

Corue cadaueribus - volucrisque sacra reliquit:
Vesceris: & palmam primus habere putas.

Melle nouo ac ueteri uino iam confice mulsum:
Ad rem sunt mediis cuncta parata suis.

Non tibi tam facili concedam lampada cursu:
Vltima supremis uiribus herba datur.

Dans meritum sumis digno qui tradere curas:
At testis nulli mutuus esse uelis.

Sunt tibi romulidum tria nomina more quiritum:
Dedecet ingenuos ludere ventre uiros.

Aspice quid facias: gerrina tibi parte timendum est:
Fidum in consilio possidet hostis equum.

Sedula cęciacos imitatur femina flatus:
Ad se qui flando nubila pulsa trahunt.

Pro te iam nati comedent cum lentibus offas:
Talia nec pleno te pudet ore loqui?

Cum malus esse bonum simulat se: pessimus est tunc:
Effuge in alterutrum colla reflexa latus.

Fertilis est oculus domini gradientis in agro:
Fac tua te noscant omnia semper herum:

Fertur obumbrari nimium sapientia uino:
Vim tamen ingenii quis negat esse merum?

Iam uia deficiet: ne quęre uiatice tantum:
Nil poteris tecum ferre: quietus agas.

Crus planus ecce semel fregit: nec creditur illi:
Mendacis perdunt omnia uera fidem.

Te duce finitimi gaudere cupiuimus omnes:
Gaudia sed rapidi nostra tulere noti.

Si patitur tempus: quam fare libentius audi:
Claudere qui os nescit: nescit & ille loqui.

Tam modicum inficias nolo: ieiunus abibis:
Arcta licet modicum non olus olla legit.

In neruum erumpes pariter se cornua iungunt:
Omnia sufficiant que satis esse uides.

Siste parum que so. ulterius procedere noli:
Dic mihi tam pinguem quis tibi fecit equum?

Esca uelut pisces homines ita munera captant:
Subdita muneribus fasque piumpque manent.

Esset apud Cares faciendum hoc fortibus armis:
Nonne pudet talem te lacerare uirum?

Altus es ipse nimis: quis te comprehenderet unquam?
Ad puteum restis non facit ulla tuum.

Qui delatori patulas accomodat aures:
Hora sibi placide nulla quicquam adest.

Que uitium ante fuit nunc assentatio mors est:
Qua quoque si careas soti te carere soles.

Quem iuuat in neruum semper pro uiribus ire:
Non debet quando fallitur ille queri.

Fleui que uolui post quam mihi parta fuerunt:
Quenque magis temper cognitiore mouent.

Hic se se furti nodo magis alligat arcto:
Nec tibi iam faciem perfricuisse iuuat.

A quo multa solet clementia sepe requiri:
Ille est ingentis maxima causa mali.

Crede mihi simplex subito si uenerit ortu
Consilio superat femina queq; uirum.

Ille sui causa nunquam uixisse fatetur:
Qui propter seui uulnus amoris obit.

Nunc opus est fato concedere: nam male secum:
Heredem medicum qui facit: eger agit.

Omnia que dubitas si tu non feceris unquam:
Succedent uotis prospera cuncta tuis.

Semper in exitium domini mortalia casum
Ni bona que ueniunt sustineantur: habent.

Difficilem fac ipse feras leto ore ruinam:
Ut facilem leuius tum tolerare queas.

Sic magnam inuicto regi dant plurima laudem:
Supplicia: ut medicum funera multa decent.

Fictam nemo diu poterit deducere uitam:
Naturam in propriam ficta cito recidunt.

Noscitur absq; aliquo nunquam fortuna dolore:
Sed tunc precipue cum uenit apta malis.

Qui tempeſtati ſuccumbit ſeruit honeſte:
Quod prudentis opus dicitur eſſe uiri.

Dum manibus tremulis elephanto trederet aſſem:
Dirigit ſubito muſa retenta metu.

Inte cognoſci perturpe quod obiiicis eſſet:
Qui carpunt iſdem non decet eſſe notis.

Si tibi non laudem ſine theſeo bella reportant:
Quem ueſtrum maior gloria iure manet.

Erudiendo uiſ preſtat melioribus uti:
Ingenia hæc facili ſunt facienda manu.

Vade nec expecta: nam re tua uota carebunt:
Iſta tibi mecum cæna canina feret.

Rebus non uerbis credas: nam quod magis optant
Sepe negant homines: quo ſua uota ferant.

Quos in ſe ſentit ſocio largitur honores
Omnis: mel etenim nil niſi dulce ſapit.

Ni mutes aliam meliori ſydere uitam:
Triftia ſeiiani iura tenebis equi.

Quod deſit non uelle ſibi ſed poſſe fatetur
In reliquis ſeruus ſi male mitis erit.

Ardentem tristi patitur si corde dolorem
Aegrotus :uultu frigidus esse solet.

Laus a laude quidem uirtus a pallade fertur:
A flamma lumen surgit ab igne calor.

Sisyphum semper cogor detrudere saxum:
Tantaleamq; fero nocte dieq; sitim.

Te diuersa breui sub luce negocia tangunt:
Mandere lentiscum desine: tempus abit.

Hic torquet collum: longe fuge: munera uellet
At mea: si Glaucus cum Diomede forem.

Te tua quo tendes semper fortuna sequetur:
Seu bona seu mala sit: fors sua quenq; tenet.

Heu quam difficile est habitae custodia famae:
Linca uix essent lumina mille satis.

Qui mecum incedis dicit fortuna secundum
Aspice quod possis perdere: casus adest.

Si tua perferrem facerem mea crimina: nunquam
Vir bonus erranti commodat obsequium.

Tolle meum atq; tuum: fiet pax optima rerum:
Omnis & expulsa lite quietus erit. .cii.

Tantaleum nobis satis est libasse liquorem:
Non opus est sacras tangererursus aquas.

Quod tibi lux donat timeas: redit illico raptum:
Nanq; cito ut ueniunt cuncta: redire solent.

Pulchra nigredinibus laudatur foemina ternis:
Laudari haec nigro tota colore potest.

Si tibi uis regnum longe sitis absit habendi:
Omnia nam certe qui nihil optat habet.

Sola laboranti merces solatia prebet:
Hinc sua ne perdat premia quisq; labor.

Aeger in aspectu spectacula turpia tradit:
Tristitiam pellas si potes ergo grauem.

Fornicis in medio furia flagrante peribis:
Si noles igni consuluisse tuo.

Est bona mors homini quae delet crimina uitae:
Si quoq; dent saeuam uulnera mille necem.

Qui sibi non praestat taciturna silentia: nunquam
Exigere a socio conuenit illa suo.

Defuerit nunquam cupido sua causa negandi:
Inueniet paruo tempore mille uias.

Inuitum retinens stimulus exire : repellens.
Stare iubes: uetitum quisq; tenere cupit.

Culpam in se uitat: qui crimen praeterit atrum.
Dic rogo quem culpa posse uacare putas?

Quae uariis reficit cultus iucunda uidentur:
Haec num grata tibi quod uideantur: habent?

Paruula pauperibus sed auaris omnia defunt:
Materia uotis conueniente suis.

Qui rogat indignum: similem se iudicat illis.
Nam merita debent omnibus esse preces.

Aspice quam puras nullo uel munere palmas
Quisq; deo admoueat: mens mouet ipsa iouem.

Hostem pectus habet grauiorem sedibus imis.
Idem sed patulo degit in ore leuis.

Ossibus in mediis uiolentum expertus amorem
Compatiens miseri semper amantis erit.

Bis gratum esse scias semper quod traditur ultro:
Ingrata est longa gratia cuncta mora.

Est bonus in nullo cupidus sed pessimus in se:
Dum comedit semper deteriora domus.

Occidimus quoties proprios amittimus usquam :
Nos fors innumerae pessima mortis habet.

Blanda tenet tacito sub pectore lingua uenaenum :
Ne te decipiant dulcia uerba caue.

Qui dolet & queritur lenit sua uulnera questu :
Sed miser heu dolor est in cruce uoce carens.

Sumit opem in nigro qui tempore commodat albo :
Rebus in aduersis dona secunda iuuant.

In medium de quo nequeas afferre querelam :
Quam miserum est quod te ledat & addat onus.

Quiq; sui memor infausti miseretur : & ultro
Auxilium praestat quod sibi ferre ualet.

Oedipus non sum: dic planius omnia recte
Haec tua nescio quis uerba tenere queat.

Nulla graues animos anceps sententia uexat :
Semper in expertum durius esse solet.

Ex dulci uino mordacius exit acetum :
Raro sed grauius prouchit ira probum.

Vitrea fortuna est cum splendet : frangitur ergo
Fac caueas: illi uel leuis ictus obest.

Iam nihil in terris homines amittere possunt:
Cui nil perdendum est perdidit ille fidem.

Si multis placeas tibi uita placere nequibit:
Nanq; sibi ac multis nemo placere potest.

Qui non uult misereri: nequicquam ille rogatur:
Flectuntur nulla saxea corda prece.

Quod nequit inuerti: ne culpes ferre necesse est:
Sic nos causarum tendere causa iubet.

Munere non magno pura sed mente mouetur
Iuppiter: hoc tantum flectitur ille modo.

Est fortuna semel nulli contenta nocere:
Sed solet ad notam saepe redire domum.

Fallitur ille minus celeri cui uoce negatur:
Promitte atq; nega tu tua cuncta cito.

Plurimus exorta furor est muliebris in ira:
Nanq; sub hoc sexu non habet ira modum.

Qui metus est multis multos uereatur oportet:
Subdita sub proprio cuncta timore manent.

Non tam difficile est homines se posse repelli
Quam falli: passim fiat utrunq; licet.

Qui sibi diuitiis reliquos prestare uideatur:
Pauperiem patitur crebrius ille grauem.

Infantes etiam mentiri sepe coegit:
Ipse dolor: magno cuncta dolore patent.

Quem decet esse malum: nil quisquam speret ab illo:
Nam sibi pro nihilo crimina cuncta putat.

Respice sequitiam atq; illius respice matrem:
Si nimis horrenda labe carere uelis.

Magni animi est proprium offensas contēnere & hosti
Parcere: nam magnum munera magna decent.

In me semper idem sentit cum pectore lingua:
Non possum: uel si dissimulare uelim.

Qui cupit extolli: nil exigat: omnia prestat:
Muneribus laudes dantur: & acta probant.

Non stimulat cunctos mortales una libido:
Naturam tentat quisq; tenere suam:

Nil peccant oculi: ratio si temperat illos:
Mens immota manet: lumina sola uident.

Contemni incipias: si tu uis esse beatus:
Non aliter summi scanditur aula dei.

Quenq; cibum semper meliorem saccara reddu
Omnia grata magis dulcibus esse solent.

Si mala nature nunquam doctrina medetur :
Nil iuuat in studiis se lacerare suis.

Iudicium fugiens facinus sine lite fatetur :
Cursugis & authorem qui rubet: error habet.

Ipsa sagittarium duco magis esse timendum:
Hic tantum nobis non Capricornus obest.

Acta agis ac perdes operamq; oleumq; profecto :
Nil agere infausto est uera medela uiro.

Cynthia ridentem partu te quinta recepit :
Maximus infausti criminis author eris.

Improbilas felix labe solet esse bonorum:
Tu tamen es rectis firma columna uiris.

Dic michi quid demum refert sis albus an ater?
Tempore pictorem nam color omnis habet.

Cum uelis & equis semper tua iussa capessam:
Spiritus hos artus dum reget ipse meos.

Prosperitas uel ferre potest uel strenua uirtus
Inuidiam : sed tu cur tolerare nequis?

Quod semel est omni statuendum tempore: multos
Annos quisq; suum mente uoluet opus.

Iratum breuiter uites. sed protinus hostem:
Hunc fera mens. illum prouehit ipse furor.

Ne credas illi: qui admouit labra metretae:
Nam semel errantem saepius error habet.

Rebus in humanis rarum est ac nobile donum:
Despiciens animus. pectore magna suo.

Perficiam quamuis desint mihi quattuor actus:
Incepisse quidem non leue pondus habet.

Anue quod peteres: nil posce quod ipse negares:
Nam petit iniuste. qui dare nescit idem.

Argolicam hic artem tractando in pollice callet:
Tecum habita: tantum crede. quod ipse uides.

Quam sapiens danno potius dolet omnis auarus:
Idem etiam recte nil nisi morte facit.

Laurigeros citius referant quae bella triumphos
Hostibus ex magnis: non parat una dies.

Qui semel argolica plaustrum bene perculit arte:
Post hac prudentis nomina semper habet.

Supplicium grauitas compensat maxima lentum:
Seraq; maiori foenere poena uenit.

Arrisit nunquam pleno mihi copia cornu:
Quin demum obscura fronte nouerca foret.

Munus amicitiae multis expletur in annis:
Non tibi sufficiant uerba: probare uelis.

Mensam solis habes: ne pugnes more gigantum:
Nam tibi non essent terra fretumq; satis.

Te doleo ingenti sectantem mattea sumptu:
Non facit ad lautam docta minerua gulam.

Omnibus esse quidem moderata silentia debent:
Dedecet os mutum: dedecet osq; loquax.

Frigora ferre negans glacie mentitur: & aestus:
Qui nullam ardenti dicit habere sitim.

Surge age: ne placidae nimium te crede quieti:
Gloria nam molli non uenit ulla toro.

Non nobis solum nati sumus: esse sed alter
Dicimur alterius membra: quid ergo negas?

Nemo fidem perdit: nisi qui non possidet illam:
Fallere me presso pollice quisq; potest.

Omnibus in rebus beneficis simulare cupressum.
Talis apellæ pictor in arte ualet.

Morem mutat honos: ficus ne diuide semper:
Quod te iam decuit: dedecet illud idem.

Omnibus ac nulli ignoscens crudelis habetur:
Nam mediam debent recta tenere uiam.

Vita tibi est odio: qui mortem expectat amici:
Non socium: sed opes diligit ille suas.

Sæuus in aduersis obiurgat casibus hostem:
Præsidium at pietas comparat usq; bonum.

Extorquetur amor nunquam: sed labitur: hinc est
Blanditia dulcis non uenus imperio.

Aut uerum perdes: aut est perdendus amicus:
Fautus amicitia si tibi iunctus erit.

Non decet a lasso fortem perquirere rixam:
Dic leo num lassum dente uel ungue petit?

Turpia ne dicas: paulatim a sedibus imis
Discutitur rerum per malauerba pudor.

Optima conditio mortis: dum uiuere gratum est:
Pessima: si fuerint fata uocata tibi.

Nunquam consuetos dediscit femina fletus:
Lumina cui nullo prona dolore madent.

Indicat etatem: sequitur qui pectine crines:
Omnia non omni tempore facta decent.

Vt sit amans sapiens-raro conceditur ulli:
Dic mihi sub ceco quis duce cautus erit?

Semina si perdis: leto cur detrahis agros?
Annus non tellus fructificare solet.

Te propter possent uadimonia cuncta relinquis:
Iunonem ac fraudas casta puella tuam.

Aut amat: aut odit: medium scit femina nullum:
Quæ quoq; si sola est cogitat usq; malum.

Nauiget in portu quantis tua cimba: deorsum
Acaluo ad caluum fors fera: quenq; iacit.

Ah lamentari cogis non posse cadentem?
Bis perit arbitrio qui perit alterius.

Ibit in effectum sermo: si recta loquamur:
Sed turpi exuerbo nil nisi turpe uenit.

Suscipienda domi talis non esset hirundo:
Non sapit assidua garrulitate melos.

Quod uis esse tibi tacitum ne dixeris ulli:
Nanq; quod ipse nequis nemo tacere potest.

Sumitur arbitrio mentis non ponitur unquam
Verus amor: Verus fin minus esse nequit.

Expedit interdum quod scis obliuio tollat:
Ne ferat ingentem parua fauilla rogum.

Ex hominum quaestu in numero est fortuna dearum:
Hinc regere immensi dicitur orbis opes.

Vt pictura placet nullis formosa lituris:
Foemina sic nulla labe placere solet.

Dura tibi est ceruix: nec uis audire monenti:
Se male nolentes credere semper habent.

Cum gemitus audis animo nil crede dolenti:
Pessima in alterius sunt fugienda malo.

Ex uitio alterius sapiens se corrigit omnis:
At uitam in proprio crimine stultus agit.

Cum turpi fama lucrum est iactura uocandum:
Nec sibi nec cuiquam quod bene uertat: habet.

Hora bona est nulli quod cuiquam pessima non sit:
Quae dat opem: pariter praebet & illa necem.

Et deest & superat miseris quandoq; putandum:
Nam miser in propriis nescit habere modum.

Qui solet in scirpo semper conquirere nodum
Ingenium leuitas debet habere suum.

Spernere opes ingens est copia diuitiarum:
Si tu contennes omnia: diues eris.

Ex ligno ut fertur non fit Cyllenius omni:
Fallitur id suadet qui secus esse sibi.

Serius accusa lauda quoq; serius omnes:
Ex subito egreditur quod semel ore; manet.

In liquida ac sincera euadere turbida nunquam
Posses scias; ergo turbida cuncta time.

In faciem alterius proprium scelus obiicit omnis:
Nil nisi romanum martia turba sapit.

Non anime stimulum sed famam quisq; ueretur:
Oucinam saltem candida fama foret.

Ne differ uitam; similes mors praeuenit anceps:
Nam tibi quaeq; potest esse suprema dies.


Impositam teneant hic disticha nostra coronis:
Dico tibi grates lector amice; uale.

EPITH. DEAE CORTON.


Quisquis es hic queso paulum consiste uiator:
Carminaq; hæc madidis perlege pauca genis.
Patria cui Coricus clariq; fuere parentes:
Hoc Dea sub duro marmore clausa cubo.
Aurum forma pudor morerer quin flore iuuentę:
Flectere fatales non ualuere deas.
Sola urina mihi poterat succurrere: cuius
Claudit iter nimio menstruus orbe tumor.
At Dea si cecidi & mortem euitare nequiu:
Mortalis fugiet quomodo turba necem?
Disce igitur nullis mundi confidere rebus:
Hęc ego te uolui nosse uiator: abi.


AD .F. APOLLONIVM MINIATENSEM

Bacchus Apollo Ven⁹ tria numina magna tuent^r
Vates: nec culto crine carere sinunt.
Nanq; hedera ac lauro myrtoq; uirentia cingunt
Tempora: pro numeris terna corona datur.
Te reor arboreo cum munere forte careres:
Madalio donis consuluisse nouis.
Bacchus uina modos Phębus Venus alma columbas
Quae mihi misisti cuncta: referre solent.
Munera quae sacris praebent tria numina musis:
Cum dederis solus: numina uincis homo.
Vina Columbarum pullos carmenq; dedisti:
Tu triplex triplici munere numen habes.
Crede igitur semper dederis si talia nobis:
Tu Venus ac Bacchus tu mihi Phoebus eris.




Mag. St. Dr.





ZAKŁAD INTROLIGATORSKI
I GALANTERYJNY
K. MANKE
NOWY-SWIAT № 55
W WARSZAWIE



MADALIUS. PROVERBIA,